

positis, nascatur. Liticulis inhaerere, & ne prorsus per orbem ignorentur, tricari, nugivendulis relinquit, ac per templorum inclarescere incendia, stolido saltim Herostato proprium vendicat. Maximum antiquis simul servatae prudentiae exemplum erat, quam in diminuendis minus necessariis disputationibus, monstrare possent; Quam quippe prudentiae, candoris, ingenuitatis, modestiae, studii pacis, & caritatis sic detur concursio, memorante Gregorio Nazianzeno, magni Athanasii exemplo probant. Fervida illius tempore orta fuerat inter Catholicos quoque disputatio, num Trinitatis Personae *τρία πρόσωπα*, an vero *τρῆς ὑποστάσεις* vocare conveniat? ibi Sabellianismum & tres personas saltim nominales, hic vero Arianismum, cum tribus essentiis, metuebant. Athanasius vero, verus *τῆς εἰρήνης στρατηγός*, in vocibus saltim altercationem observans, cum syllabis, simul Doctorum animos, pacemque Ecclesiae debuisse abrumpi, aegerrime ferens, utraque parte leniter accita, negotium transegit, ut nominum usum concedens, rebus constringeret ante dissidentes, facto, Nazianzeno iudice, omnibus Athanasii laboribus aliis, vigiliis, immo fugis exiliisque, multo praestantiori, ast tali tamen simul, quod, qui ex gravissimis Ecclesiae dissensionibus nunc meras fabricari *λογομαχίας* instituunt, minime iuvel. C 3 Ve.